Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1363

Quelle:
Copyright:

ceptorem, aliis in *Guibertum Novigentium*, aliis in *Guil. Conventrienſem* Carmelitam, aliis denique in *Honorium Auguſtodun.* Sec. XI. Autorem inclinantibus, in quorum numero et Codex noſter eſt, qui inſcribitur: *Incipit Prologus In Elucidarium honorij dyalogicum;* quanquam ultima duo verba non a prima manu ſint, et, licet tam in Libello *de Luminaribus Eccleſiae* ipſius *Honorii*, quam apud *Trithemium* dicatur *Honorius Elucidarium in tribus Libellis, primum de Chriſto, ſecundum de Eccleſia, tertium de futura vita* ſcripſiſſe, haec tamen diviſio non optime congruat praeſenti noſtro *Elucidario*, in quo mira eſt Quaeſtionum varietas, ut recte obſervant etiam Autores *Hiſt. liter. Franciae* T. IX. p. 443. Quid quod *Elucidarii* nomen aevo praeterito pluribus lucubrationibus inditum eſſe in comperto ſit. Rem itaque in medio relinquimus, illud adnotare contenti, Prologi initium eſſe: *Sepius rogatus a diſcipulis quasdam queſtiunculas enodare* &c. Finem vero totius operis: *et uideas bona iheruſalem omnibus diebus vitę tuę. Amen.* Lectiones variae non deſunt.

II. *fol.* 66. p. 2. *Interrogationes de Parabolis Salomonis.* Eadem prorſus, qua *Elucidarius*, methodo. Unde, ſi is *Honorii* ſit, *Interrogationes* quoque ad illum referre par eſt. Tacent quidem de his cum *Honorius* ipſe, tum *Trithemius ſuprac.* editas tamen eſſe ipſius nomine inſignes *Coloniae* 1540. 8. teſtatur *Fabricius Bibl. med. Lat.* L. VIII. p. 280. atque inde in *Bibliothecas PP.* receptae ſunt, ut *Lugd.* T. XX. p. 1140. Quamvis vero ibi in praevia *Ant. Hierat* Lectoris Admonitione recenſitae dicantur ab *Andrea Schotto* viro certe eruditiſſimo, deſtitutum tamen hunc fuiſſe, quod ibi candide dicitur, membranis antiquis calamo exaratis vel *Codex* hic noſter palam facit. Ut enim Quaeſtiones illas iſagogicas, quas N. *ſeq.* adtingemus, rectius *Proverbiis* ſeu *Parabolis* praefixerit *Schottus*, caruit tamen *Interrogationibus* aliis XV. quae proprie εισαγωγην in *Parabolas* conſtituunt, et in *Cod.* noſtro praeſto ſunt. En earum initium: Interr. *Parabole qua lingua dicuntur?* Reſp. *Greca. latina uero interpretantur ſimilitudines.* Interr. *Quare ſalomon huic libro iſtud nomen impoſuit?* Reſp. *Ut per hoc demonſtraret. quia non iuxta literam ſed altius et ſpiritaliter intelligere debemus. quę dicit.* Interr. *Quid ſignificabat ſalomon quando per parabolas locutus eſt?* Reſp. *Dominum iheſum chriſtum qui per parabolas locuturus erat turbis iudeorum. Nam et ipſo nomine ſuo eundem dominum iheſum chriſtum ſignificat.* &c. Multae praeterea per decurſum *Interrogationes* cum ſuis *Reſponſis* deſunt in Impreſſis, cumque illa in hac Interrog. *Iſte filie quas diuitias congregarunt?* ſiſtant, *Codex* noſter pertexit totas *Parabolas* adjiciendo VI. *Interrogationes* in ultimos 2. Verſus: *Fallax gratia* &c.